DE LYRICA

APUD PRUDENTIUM POESI,

ANALYTICA DISQUISITIO,

Auctore F. DELAVIGNE.

> Sperne Camœna leves [illegible]
> Cingere tempora [illegible]
> Sertaque m[illegible] dactyl[illegible]
> Texere docta l[illegible]
> Laude Dei redimita comas.
> Cathemerinon, III, v. [illegible]

TOUL[illegible]

IMPRIMERIE [illegible]

rue T[illegible],

1848.

DE LYRICA

APUD PRUDENTIUM POESI,

ANALYTICA DISQUISITIO,

Auctore F. DELAVIGNE.

Sperne Camœna leves he
Cingere tempora quis solit
Sertaque mystica dactylico
Texere docta liga strophio,
Laude Dei redimita comas.
Cathemerinon, III, v.

TOULOUSE,
IMPRIMERIE D'AUG. HENAULT,
rue Triprière, 9.

1848.

De Lyrica apud Prudentium Poe[illegible].

Lyricum carmen quo omnes animi affectus tam vividè proferuntur, apud R[illegible]manos neque citò neque facilè fuerat acceptum. Nec en[illegible] [illegible]bstabant hirsuta primò lingua a[illegible] jejuna, quæ c[illegible] commercio, et, ut ità dicam, necessitat[illegible] petebat. Præterea inhærebat nescio quid trist[illegible] religioni; et aris sedebant Dii truces, sit[illegible] guinem, qui dulces et pios cantus aversati [illegible] potiùs et silentem quasi pavorem adstant[illegible]bant. Adde quod contumax ille popul[illegible]s assiduis certaminibus exercebatur. Extrinsecù[illegible], bellicosis infesti gentibus quibus circumcincti erant et [illegible]ine fine lacessiti; domi verò, jurgia et sæpè prælia [illegible]ebant cum Patriciis, penès quos humanar[illegible] non s[illegible]ùm, sed etiam divinarum legum scientia et arbitrium. Quibus freta nobilitas, cæteros impunè premebat; et, ut Taciti propè verba usurpem, si locuples civis, avari, si pauper, ambitiosi, per fas et nefas avaritiam exsatiabant religionis et legum auctoritate munitam.

Vexatus igitur et vici... ...ator, populus romanus, vixdùm e foro vel ... , o... ...sis insuper agri laboribus incumbebat : ... ... ferè apud eos studio umbratili locus ... quùm prædando, seditionem agitando, terram arando, totum vitæ tempus consumeretur. Meâ quidem sententiâ, populus ille quotidiano fori certamine maturiùs ad eloquentiam excitari potuit, cui quidem aliundè congruebat genuina sermonis gravitas et subtilis vehementia; potuit etiam patriciorum injuriis et suâmetipsâ conscientiâ adactus, justi et injusti fines describere, hancque excogiare scientiam quæ juris prudentia dicitur. Hoc opus, ...æ Romæ artes erant. Sed diutiùs apud incuriosam ...tem latuit ignot... ...m g... nus illud lyricæ poeseos, quod ...tàm ...nitùs intellèxit ... tàm magnificâ oratione (1) illu...travit Plato, quodque nunquàm extulit laboris per... ...acia, sed vis et divinior propè instinctus. Itaque ... apud Græcos, Lyrica poesis, ab omni ferè ævo, ...quid ad religiosos, civiles vel domesticos pertinet ...usus, celebrat; pauca vix apud Romanos reperire ... ...jusdem fragmenta in hymnis sacris (2),

(1) Inde apud eos, poetarum fastidium — «Honorem tamen huic generi (poetis et artis musicæ peritis) non fuisse declarat oratio Catonis, in quâ objicit ut probrum M. Nobiliori quòd is in provinciam poetas duxisset. » Cic. Quœst. Tusc. L. 1. C. 2. — « Poeticæ artis honos non erat; si quis in eâ re studebat, aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur. » Aul. Gel. L. XI — c. 2.

(2) Οὐκ ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἔνθεοι ὄντες κἀι κατεχόμενοι πάντα ταῦτα τα καλὰ λέγουσι ποίηματα..... καὶ (ποιητὴς) οὐ πρότερον οἷος τε ποιεῖν πρὶν ἂν ἔνθεος τε γένηται κἀι ἔκφρων, κἀι ὁ νοῦς μηκέτι ἐν αὐτῷ ἐνῆ.
Io. Plat. opera

aut feralibus (1), et in cantibus quibusdam gentilibus aut triumphalibus. Hoc qu ue Cicero testatur : « Gravissimus auctor in O ginibus dixit Cato, morem apud majores hunc epulo m fu   u deinceps qui accubarent, canerent ad tibian larorum virorum laudes atque virtutes (2). » Apud Brutum (5), obliteratos eosdem cantus desiderat. Ego verò magis desiderassem Triumphalia illa carmina de quibus sæpè sæpiùs mentio fit apud Titum Livium (4), et per quæ, ut opinor, liberiùs exsultabat ferus animorum impetus, aut vividiores præcipuè Romanorum affectus, cum armis amplificassent imperium vel hostes debellassent.

(1) Indagare possem eorum multa estig vel fragmenta. At quic significarent minùs in dies intelligeba ur. « Vix sacerdotibus su in-tellecta. » ait Quinl. Inst. or. l. 1e c. VI. par 40. — E de ill feri omnibus dici potest, quod de uno Livius : « Tùm septem et viginti virgines, longam indutæ vestem, carmen in Junonem reginam canentes ibant; illâ tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens et inconditum, si referatur. » T. Liv. L. 27. c. 37.

(2) Apud Ciceronem mentio est Næniarum. Hoc deinceps verbo intellecta est laus quædam vulgaris vel fabula :

« Nam cæca vis mortalium
Venerans inanes nænias. »
Prudentius, Cathemerinon.
Hym. XI. V. 33—34.

(3) Quæst. Tusc. L. 4 C. 2.

(4) « Atque utinàm exstarent illa carmina quæ multis sæculis ante suam ætatem, in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorom laudibus in originibus scriptum reliquit Cato. » Brut. C. XIX. par. 75. Adi quoque Quint. L. 1. c. X p. 20., Val. Max. L. 11, c. 1, p. 10. Varr. Apud Non. L. 11, c. 70.

(5) Tit. Liv. l. III, c. 29. l. IV, c. 20 et 53. L. V. c. 49. L. X, c. 30. L. 28, c. 9. L. 39, c. 7. Adi quoque Dionys. Halic. ant. Rom. L, 2, c. 34. L. VII, c. 72. et Suet. Jul. Cæsar. Par. 49.

Neminem fugit quibusnam modis Græcia capta ferum victorem ceperit. Flaccus, ipse etiam Græciæ captivus, nec sanè inter inglorios, hoc sibi in laudem vertit

Princeps Œolium carmen ad Italos
Deduxisse modos (1).

Et circa Horatium, quasi auspicem et magistrum, statìm exoritur Lyricorum vatum examen, quos omnes tenuis afflat Graiæ Camœnæ spiritus. Quemadmodùm autem apud gentem, sui peculiaris oblitam ingenii, et alienæ imitationi obnoxiam, maturè adolescunt litteræ, sic fragiles mox et caducæ maturiùs obsolescunt. Proprio enim carent succo undè vitam renovent, brevique extenuatæ arent. Florentis ideò Catullorum et Tibullorum et Propertiorum ætatis vices excepit Statii et Nemesiani, Calpurniique et Ausonii ætas. Et posteàquam nihil intentatum in litteris reliquerunt Romani, eò adducti fuere ut, exhaustâ jam Græcorum imitatione, semetipsos quoque imitandos exhaurirent. Haud mihi in animo est revolvere historiam Lyricæ istius poeseos quæ vixdùm è cunabulis, jam elanguescit. At operæ

(1) Quæ Lucretius Epicuro, eadem Græcis jure tribuissent Romani, Atheniensium ingenio obnoxii:

« Te sequor, o Graiæ gentis decus, inque tuis nunc
Ficta pedum pono pressis vestigia signis...
Tu, pater, es rerum inventor; tu patria nobis
Suppeditas præcepta; tuisque ex, inclute, chartis,
Floriferis ut apes in saltibus omnia limant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetuâ semper dignissima vitâ.

Luc. de nat. Rerum. L. III, V. 2 — 13.

pretium videtur totam mentem intendere novæ illi Christianorum musæ, quæ linguam et poesim jam effœtam, afflatu suo contigit atque refovit.

Religioni cuique in lucem prodeunti inhæret peculiaris quædam morum norma, id est proprius ac singularis animos regendi modus, undè novum manat quoddam poeseos genus. Quippè Poesis, cùm nihil aliud sit nisi sincerior mentis interpres, mente mutatâ, ipsa quoque mutetur necesse est. Fides igitur Christiana non tantùm attulerat quæ animos regerent et sustinerent, spei certum proponerent finem, sed etiam quæ mentis humanæ renovarent affectus, et ideò Lyricis carminibus novum fontem aperirent. Attamen non statim affulsit lux illa novæ pœseos. Primo secundoque fermè nascentis Ecclesiæ sæculo, Imperatorum contumeliis vexati et suppliciis, Christiani silentes ingemuerant; aut, si quandò vocem tollerent, tantùm argumentis et rationibus tyrannos oppugnabant. Latina igitur Ecclesia milites primò habuit qui fidem sanguine suo sancirent; advocatos deindè et patronos qui, duce et auspice Tertulliano, acerrimum disputationum certamen cum derisoribus Ethnicis inierunt. Quarto tandem sæculo, ei adfuit poeseos auxilium et decus (1). Ambrosius nempè, è

(1) « Inter quos non pauci extitere, qui divina et religiosa mysteria, genere etiam orationis numeroso pertractarent, ut ipso verborum flexu et dulcedine ad rerum cœlestium cognitionem homines allicerent. »

G. Fabricius. Poet. Christ., Thesaurus, p. 3.

cujus nomine p dent in litteris Christianis, *Homilia* funebrisque oratio et primæ de Officiis quæstiones, primus quoque (1) Lyrica carmina condidit. Nec multa sanè: quamvis plures hymnos, quò faciliùs à severiore ecclesiâ adsciscerentur, venerando Ambrosii nomini adscripserint posteri (2). Priscos verò Christianæ religionis annales evolventi, primus verè poeta obversatur, primus lyricæ poeseos cultor et antistes, Aurelius Prudentius, hispanus genere et Ambrosio æqualis. Quiquidem, propter ætatem quâ floruit, propter etiam laudis segetem quam fuit assecutus, penè dici potest primus (3) inter latinos Christianæ religionis vates. Breves de ejus vitâ notas nobis ab ipso traditas è carminibus primò excerpam : et deindè numerosis operibus memoratis et in varia genera distributis, Lyrica ejus carmina potissimùm attingam quæ attentiùs investigare, quibusque singulis laudem suam assignare mihi in animo est.

(1) Auctore Ambrosio, mos ille hymnorum, hactenùs Orienti peculiaris, in Occidentis ecclesias etiàm migravit.

(2) Quatuor tantùm hymnos suo jure vindicat Ambrosius, quorum tres ab Augustino memorantur, et quartus a Concilio Romæ habito, a. 440. *OEterne rerum conditor..... Deus creator omnium... Jam surgit hora tertia.... Veni redemptor gentium.*

(3) C. V. Aquilinum Juvencum priorem ætate fuisse meritò animadverteres. At lyricos poetas solùm tangimus : et nil aliud nisi Evangelicam historiam versibus narrat Juvencus. « Non pertimuit, ait Hieronymus, Evangelii majestatem sub metri leges mittere. »

II.

Quarto et quinto sæculo, dùm undique debacchabatur maximè lugendarum calamitatum tempestas, miro quodam casu, christianæ fidei adfuerunt maximè egregii defensores : quasi ferax illa ingeniorum seges divinitùs demitteretur quæ terram tot miseriis et cladibus afflictam reficeret ac solaretur. His enim temporum angustiis viguere Athanasius, Basiliusque et Gregorius sodales, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, et, æternum Africæ decus, Augustinus. Eodem etiam tempore, Latinas litteras ignotâ adhuc apud christianos luce illustrant Caius Vettius Juvencus, Damasius papa, Meropius Anicius Paulinus, Proba Falconia. Quos inter poeticæ laudis æmulos, superior eminet Aurelius Prudentius Clemens, Constante et Constantino imperantibus, Philippo et Saliâ consulibus, (1) anno 348 in Hispaniâ natus. Quâ autem ab urbe sit oriundus, non facilè definies. Cæsaraugustam (2) bis *nostram* appellat; sed *nostram* Calagurrim quoque poeta vocat (3); *nostram* quoque Tarraconem

Irrepsit subito canities seni,
Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens
Sub quo prima dies mihi.

Præf. v. 23-25.

(1) Saragosse.

(2) Perist. IV et V, 1 et 97.

(3) Perist. I, 116, IV, 31 — Indè Tillemont. Hist. Eccles. p. 560. Fabricius, Bibl. Latina IV, 2. Tom. III, pag. 291.

urbem (1). Pro certo igitur hoc unum habeamus, Prudentii patriam non procul à Pyrenæis fuisse; quod ex his versibus patet :

Exultare tribus libet patronis,
Quorum præsidio fovemur omnes
Terrarum populi Pyrenearum (2).

Austeram magistrorum disciplinam à pueritiâ adhibuit, de quibus quod de Orbilio Horatius (3), haud immeritò dicas. Mox autem, assumptâ virili togâ, ad officinam Rhetorum se contulit, qui eum *infectum vitiis falsa loqui* edocuerunt (4). Juventutem etiam, propè Augustiniano more, turbidam ac tumultuosam exegit; quod non tàm eleganter ac venustè, sed non minus pœnitenti oratione confitetur (5). Tùm causas oravit, et Theodosii imperatoris gratiâ sublatus (6), provinciæ cujusdam Hispanicæ, forsàn Tarraconensis, bis rector creatus est :

« Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus urbium,

(1) Perist. VI, 143.

(2) Perist. VI, 145. Adi quoque. Perist. 11, v. 537.

Nos Vasco Hiberus dividit
Binis remotos Alpibus
Trans Cottianorum juga,
Trans et Pyrenas ninguidos.

(3) Hor, L. II, Ep. 1ª, v. 71. C.f. quoque Martial. X, 62. Juven. 1, 15.

(4) Præfatio v. 9. Cæterum omnibus ad Christianam religionem conversis idem Rhetorum contemptus. Adi August. Conf. L. 1, c. 13. Hoc tamen in memoriâ habeas, Augustinum scilicet, Hortensium legendo (qui quidem, Ciceronis liber, nunc desideratur) se deerrantem intellexisse, et æternæ sapientiæ amorem mente suâ fovisse.

(5) Præf. 10, 12. Perist. 11, v. 573 et seq. Perist. IX, v. 7 et 8.

(6) Ex hymnis Perist. IX, v. 3, XI, v. 1 et 2, XII, v. 64, Prudentium Romæ fuisse certè concludes.

Jus civile bonis reddidimus. Terruimus reos.
Tandem militiæ gradu
Evectum pietas principis extulit
Adsumptum propiùs stare jubens ordine proximo.
Præf. 16, 22.

Quis autem fuerit iste gradus, planè in incerto est (1). Et tandem *fine sub ultimo peccatrix anima stultitiam exuit ;* nam se totum Deo addixit Prudentius, septem et quinquaginta annos natus, quum sex illos carminum codices, qui adhùc extant, condidit. Quo anno obierit, non liquet; eum tamen ante annum CCCCXIII obiisse constat, cùm in secundo adversus Symmachum libro, Stiliconem laude prosequatur, qui hoc eodem anno proditionis pœnas subiit. Quidquid de Prudentii vitâ certum, hìc collegi. Plura quidem reperias apud scriptores mediæ ætatis : nulla autem adhibenda fides scriptoribus, qui aut Gennadium sine judicio transcripserunt (2), aut Prudentii vitam fictis prorsùs fabulis exornaverunt (3).

(1) Quibusdam videtur prætorii præfecturam indicare; aliis verò vicariam potestatem in Hispaniâ, aut jus comitatûs primi ordinis. Ex litteris V. C., in veteribus editionibus, ante Prudentii nomen positis, non bene concludes eum fuisse consulem, Virum consularem. Indicant verò *virum clarissimum* : quem quidem titulum, librarii mediæ ætatis sacris et profanis auctoribus concedebant. Hunc quoque gerebant, quicumque insigni magistratu fuerant induti. C. f. Wernsdorff, poet. Lat. min. V. p. 77. hoc verbo *militiæ*, non tantùm militare, sed etiam munus quodvis amplius significari potest. c. f. Plin. hist. nat. X, 33, 49.

(2) Adi inter alios Vincentium Bellovacensem, spec. historiæ, XVIII, 62.

(3) Dexter. in chronic. ad. a. 388. — Tres fuisse Prudentios non sat diligenter animadverterunt. Turiasonensis quidam in Aragoniâ episcopus, circiter a. 300. Prudentius Trecensis, sive Tricassinus, in

Priusquam Prudentianos lyricorum carminum libros, Cathemerinon scilicet et Peristephanon aggrediamur, operæ pretium est cætera quæ condiderit, indicare. Quæ quomodò sint ordinanda, ipse in præfatione monuit (1).

Principem tenet locum Apotheosis (2); quorsùm spectet, id est ut lacessantur hæretici, ipse (3) apertè declarat :

« Quid non libido mentis humanæ struat,
  Quid non malorum pruriat?
Statum lacessunt omnipollentis Dei.
  Calumniosis litibus :
Fidem minutis dissecant ambagibus,
  Ut quisque linguâ est nequior :
Solvunt ligantque quæstionum vincula
  Per syllogismos plectiles...
. . . .
Fax sola fidei est præferenda gressibus,
  Ut recta sint vestigia. »

Dogma nempè trinitatis defendendum suscipit. Singulas evocat hæreses Patripassianorum. V. 1-177;

Galliâ episcopus, qui secundùm nonum seculum, hymnos Eccl, composuit, sæpè Aurelio Clementi falsò adscriptos. Tertius denique post sæculum decimum vixit et poetæ nostri Psychomachiam imitatus est in Tractatu de septem peccatis mortalibus et septem Vitiis oppositis.

(1) Pugnet contrà hereses, catholicam discutiat fidem,
Conculcet sacra gentium,
Labem, Roma, tuis inferat idolis.
Præf. V. 39.

(2) « Ego puto eo nomine usum fuisse, quòd Christum, cujus divinitatem suis erroribus hæretici oppugnarant, et ut ità loquar, deturbarant de solio, in illud restituat : aut, si mavis, quod refellat eos, qui animam docuerant Dei esse substantiam, vel ex Dei substantiâ, atque ità inter Deos collocarant. Chamill. ed. ad usum Delphini.

(3) Præfatio, Trimetris et dimetris iambicis condita, LVI versus includit; Apotheosis autem ipsa, MLXXXIV hexametros versus.

Sabellianorùm, 177-320; Judæorum 320-551, quorum quidem religio apud imperatores, præcipuè apud Julianum apostatam, Valentinianum, Maximum et Theodosium, haud minimâ aucta fuerat gratiâ; denique Homuncionitarum, 552-951. Poema concludit refellendo Manichæorum opinionem, qui his in terris Christum, hominis corpus induisse negabant 952-1084. Quamvis non viâ satis compendiariâ ad finem properet poeta, fervidâ pietate afflatus, lyrica verè carmina interdum elicit. c.f. 315-396, *Quidquid in ære cavo reboans tuba curva, remugit*, etc., etc. Totius Olympi, adventante Christo, tremor, et oraculorum ethnicorum silentium multâ cum majestate describitur 401-448. Historia Juliani, 460-501; Lazari resurrectio 740-766, præcipuè eminent eximiè inventa et acriter expressa. Hispanico forte ingenio nimiùm indulget, cùm fœda sepulcri et cadaveris spectacula ostentat et in horrendâ illâ oratione exspatiatur. Orationem verò et sententias elegantes usurpat, exquisitiores interdùm et, ut ità dicam, calamistratas.

Hamartigenia (1), secundum Prudentii poema, quod nonnulli, quum in hæreticos sæpè invehatur, secundum Apotheosis librum esse, sed falso, arbitrati sunt. Marcionis opiniones præsertìm refellit, qui quidem

(1) Trimetro iambico carmine scripta præfatio : et hexametro pœma, 965 v. A multis, et inter eos à Gennadio, *de origine peccatorum* nominatum est.

« Docet duitas (1) discrepare a spiritu....
Præf. v. 37.

. . . .

Deum perennem findit in duos deos,
Audet secare numen insecabile. »

Argumentorum serie demonstrat Deum unum esse, unum quidem et trinum, solis instar qui

« Motu agitur, fervore cremat, tùm lumine fulget.
Sunt tria nempè simul, lux et calor et vegetamen,
Una eademque tamen rota sideris.... » V. 75.

Malum ex animi libertate ortum est, et prout rectè vel perperam hac libertate usi fuerimus, nos manent Paradisi deliciæ inferorumve supplicia. Concludit vividè Christum precando, ut, si beatam in cœlesti regione domum non teneat, se *mitifico incendii vapore tepentem* saltem pœna levis clementer adurat, v. 960-965 (2). In hoc inæquali poemate carptim deprehendas quædam acutè et delicatè scripta; singularia quædam de scenicis ludis 366-373 (3), et de statu animæ post mortem, sive ad inferos, sivè ad paradisum devenerit 823-865.

Psychomachia (4), tertium poema, quod, Prudentiano more, græco nomine decoratum (5) notat Gen-

(1) Hoc vocabulo quod formavit, solus utitur Prudentius.

(2) Quidam hanc precem impiam habuerunt: et Bayiius, (a Prudence. Dict. T. 12. p. 352. ed. Beuchot.) Theologi Perkinsii opinionem refert : « Dictum impium et non tribuendum Prudentio ait noster Perkinsius. » Rivet. Crit. sacri. L. III. c. 26.

(3) De Scenicâ arte c. f. Peristephanon, X. 220 — 225.

(4) Trimetro iambico versu præfatio condita, 68 v. poema, 915.

(5) Gennad. de scriptor. Eccles. C. 13 — c.f. Hoffmanni lexicon universale. Lugd. Batavorum 1688, T. III, p. 932. a Prud. « Interdùm in vocibus peregrinis et maxime Græcis, syllabarum quantitatem neglexit, quum tamen Græcas illum litteras probe tenuisse testentur librorum ipsius inscriptiones Græcæ. »

nadius. Propter res de quibus agit, sæpè nominatum est : De Compugnantiâ animi, vel de Conflictu vitiorum et virtutum. Mentionem ejusdem facit Alcimus Avitus :

> Has virtutis opes, hæc s.c solatia belli
> . . . .
> Describens mentis varias cum corpore pugnas,
> Prudenti quondam cecinit Prudentius ore.
> De laude virginitatis.
> V. 370.

In præfatione vitam refert Abrahami qui Deo se totum ac sua perpetuò devovet, quemque perpetuis muneribus ornat Deus. Quemadmodum Abrahamo Melchisedech, Christus *qui sacerdos verus est*, cibum *beatis offeret victoribus*. Opus inchoat poeta invocatione ad Christum, idemque peragit gratiis Christo habitis. Per vices enarrat pugnam Fidei et Idolatriæ, 20-39; Pudicitiæ et Libidinis, 40-108; Patientiæ et Iræ, 109-177; Superbiæ et Humilitatis, 178-309; Luxuriæ et Sobrietatis, 310-453; Avaritiæ et urgitatis, 454-666; Concordiæ et Discordiæ, 6 Peragit opus Concordiæ et Fidei templum bendo. Si ad hunc fictarum pugnarum ordin tes, evagatâ nimis nec satis variâ ratione co est poema; sin ad fabulæ personas, vultum acriter ac propriè delineatum judicabis. Una pugnarum diversis locis diversâque vice ag semper exornata inventis, ita ut grata le quatur varietas. Pugnatoriis non jam ir

logiæ argumentis, quemadmodum apud Apotheosim et Hamartigeniam, suo laxiores ingenio dat habenas, altior et in verbis jam distinctior. Quod quidem opus, in medio ævo, magni pendebatur, fons propè et initium allegoricæ istius poeseos, quæ propter Scholasticæ studia et usus, nobis fuit tam accepta, quæque semper laudata perduravit ex epica nostrâ Rosæ (1) narratione usque apud comicas sexti et decimi sæculi fabulas (2).

Sequuntur deinde duo contra Symmachum libri qui Paganos ritus, simul et aram Victoriæ, à Gratiano eru[illegible]m, restituere meditabatur. In præfatione Prudentius, ut solet, fictam per figuram prænuntiat quid sit aggressurus. Paulus præco Dei, in littus ejectus procellâ, dùm ligna quibus refoveatur colligit, viperam [illegible]r ea latentem et torpentem gelu deprehe[illegible] verò Paulus

[illegible]um tacito corde murmurans,

div[illegible]opem invocasset, digitis ejus inhærens [illegible]u[illegible]rti[illegible]ro eum vulnere affecisset. Funestâ illâ [illegible] suum r[illegible]ligioni virus instillare tentat, in[illegible] Symmachus :

[illegible]Sed dextra impatiens vulneris
Oris rhetorici depulit halitus ;
Effusum ingenii virus [illegible]
Summà Christicolis in c[illegible]substitit.

V. 76-80.

[illegible]
[illegible]
[illegible]Roman de la rose.
[illegible]
[illegible]

Nulli ignotum est quod præcipuè perhibet Ambrosius, Symmachum scilicet, senatorem simul et Romæ præfectum, labanti paganitati extremam suæ eloquentiæ opem, supremosque conatus, sed frustrà, contulisse (1). Quare plura de illo viro dicere, non operæ pretium. In priore poematis libro, Prudentius noster per ora hominum traducit Deorum gregem, qui Superi Inferive, Olympum vel Tartarum incolunt; Romam deinde Symmachumque una vividè hortatur se christianæ addicant fidei quæ tot triumphis Romam, Symmachum vero Africæ proconsulatu et præfecturâ donavit. In altero libro cui præfationem [illegible] cripsit, varia Symmachi (2) argumenta ut [illegible] ar ara Victoriæ, sicut jam anteà Ambrosius, [illegible] Ex hoc libro excerpas insignes ac sæpe sæpiu[illegible] tos versus de Vestalibus (3) quæ sanguinea g[illegible] a munera, ipsæ sanguinem sitientes sp[illegible] Ad finem præclarè Honorium oratoriâ pr[illegible] atur ut tandem gladiatorias prohibeat concer[illegible] â quidem sententiâ, non frustrà fuer[illegible] Prudentii carmina, ut, anno 404, [illegible] per totum Oc[illegible] ludi isti abr[illegible] entu [illegible]

(1) Beugnot, hist. [illegible] ction du Pa[illegible] sme, 410 — 4[illegible]

(2) C. f. Symmach. Epist. 1[illegible]

(3) O tenerum mite[illegible] animum, consurgit ad ictus
Et quoties victor f[illegible] jugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectusque jacentis
Virgo modesta jubet converso pollice rumpi,
Ne lateat pars ulla animæ vitalibus imis,
Altius impresso dum palpitat ense secutor.
1095 — 1101

(4) C. f. Theodoret, L. v. ch. 26. Jam ante Prudentium, h[illegible]

Deniquè, ne quid omittamus, superest u mentionem habeamus brevioris cujusdam poemats, quod in suâ operum recensione (Cath. præf. v. 39-42) Prudentius ipse prætermisit, quodque primu omnium commemoravit Gennadius (1). Cujus nomen Dittochæon, vel potiùs Dyptichon. Hoc sibi videlicet proposuit Prudentius, ut poetico quasi breviario (2), veteris novique Testamenti fabulas concluderet. Eodem prope modo æqualis huic Juvencus Evangelicas historias, et Proba Falconia Centones suos ediderat. Hoc autem carmen (3), quum neque structurâ emineat, nec poetico vigeat spiritu, nonnulli judicaverunt falsò Prudentii operibus fuisse adscriptum (4). Rectè an perperam, non interpretor. Animadvertendum est tamen quàm similis sit Prudentio auctor in allegoricâ ratione scripturas sacras interpretandi, quàmque sit non solùm doctrinarum illius particeps (5), sed etiam frequens in usurpandis vocabulis quorum usus, quantitasque poetæ nostro solemnis est (6).

taverunt Athenagoras, Cyprianus, Tertullianus, Lactantius. Jam, congr... o Niceæ concilio, irrità Constantini lege ludi vetiti fuerant. ... cod. Theod. Lib. XV. Tit. 12, L. 1.

. f. Gennad. De viris illust. Cap. 13.

ιττος et οχη, id est duplex cibus, quòd veteris et novi testa- historias enarrat. Cæterùm varia nomina sæpè accepit, De columbis, De Adam et Eva, etc.

(3) Tetrastichus hexameter.

(4) C.f. Fabricii comment. In pœt. Christ. p. 7.

(5) C.f. Dypt. V. 102, et Hamart. V. 267-288. Dyptich. V. 149, et ... hem. X, 33.

(6) Cuna, pro cunæ, v. 112. (cathem. XII, 100), mitificus, v. 77. ... ist. VII, 42) etc., etc.

Idem Gennadius ei quoque duo poemata adscribit quæ omninò desiderantur. Nùm autem hæc unquàm condiderit dubitare, haud est absurdum. Prioris nomen, Hexaemeron, quo, ait Gennadius, in morem Græcorum commentatus est de mundi fabricâ usque ad conditionem primi hominis et prævaricationem. Alterum vocatur Invitatorium ad Martyrium, quòd nimirum nihil aliud est, nisi Peristephanon alio nomine nuncupatum. Nunc omnia recensuimus didascalica poemata quibus christiani dogmatis veritatem illustrare, vel potiùs, pro virili parte, tueri ac defendere voluit Prudentius. Quorum locus si mihi esset dijudicandus, primo gradu collocarem duos adversus Symmachum libros; secundo autem, Psychomachiam; tertio denique et quarto, cùm sint inæquali et latiùs evagatâ compositione, Apotheosim atque Hamartigeniam. In exquisità suâ Prudentii editione Chamillardus (1) hæc poemata laudat non tam quòd carminibus vel excogitatis emiceut quàm quòd sint prorsùs orthodoxa. « Illud mirere, ait, licet de variis hæresibus multa dixerit, tamen ipsum nihil quod in deteriorem accipi partem posset, aut erroris insimulari, scripsisse. Quin imò tanquàm e puro fonte haurire ex illius scriptis possumus omnia sanctæ Ecclesiæ Romanæ dogmata (2), ac potissimùm ea quæ Trinitatis mysterium spectant, Christi nativitatem divinitatemque,

(1) C.f. Chamill. Vita Prudentii. ed. ad usum Delphini.

(2) Ab hâc sententiâ paulùm Baylius discedit. C, f. Dict. a. Prudence. note E, F, p. 352. 12ᵉ v. ed. Beuchot.

Mariæ Virginis integritatem, cultum sanctorum illorumque apud Deum gratiam et potestatem. » Equidem Chamillardo fermè consentio : Quippe si Theologiam in Prudentio quæras, hæc ejus poemata præcipuè evolvas. Sin autem poetam novisse et judicare velis, tunc in lyricis carminibus, requirendus est et examinandus.

III.

Hunc hymnos canendi morem christianæ religioni æquævum invenimus. Etenim in Evangelio, fit de sacris cantibus mentio et eos crebrò usurpandos præcipiunt Apostoli (1). Eosdem multis in locis præscribit Paulus, (2) sed præcipuè ad Ephesios, cap. v., p. 19. Ad hæc accedit Plinii testimonium : « Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quod essent soliti, stato die, ante lucem convenīre carmenque Christo quasi Deo, dicere secum invicem (3). » Advecante precum horâ, quum circà aram christiani convenerant, qui vividiore fide erant instincti, Dei laudes celebrabant. « Tum exsurgens unus, ait Eusebius, hymnum canit in Dei laudem, vel recens à se factum, vel pridem ab ali-

(1) St-Matth. Cap. 26. par. 30.

(2) C.f. ad. Corinth. Ep. 1e cap. XIV. V. 15 et 16.

(3) L. X. Ep. 97. C.f. Tertull. apologet. cap. 39. et De Oratione: « Orationem Dei propriam et acceptabilem... cum pompâ operum bonorum, inter Psalmos et hymnos, deducere ad Dei altare debemus. »

quo priscorum vatum (1). » Idem in Confessionibus testatur Augustinus, qui haud secùs ac lacrymas quas Virgiliana Dido ipsi elicuerat, sibi quoque crimini vertebat quam sacris ex illis cantibus ceperat voluptatem. Sæpè etiam ex ecclesiæ adytis, hymni educebantur qui per provincias immissi, studia vulgi foverent et hæreticas spargerent opiniones. Sic juvantibus Bardesani et Harmonii hymnis, Gnosticorum doctrinæ per Syriam maximè increbuerunt. Et ipse Arius minùs cantica edebat quàm populares quasi cantus quibus singularia dogmata evulgarentur (2). Augustinus etiam religiosa adversùs donatistas carmina componebat. « Volens etiam causam donatistarum ad ipsius humillimi vulgi et omninò imperitorum atque idiotarum notitiam pervenire et eorum quantùm fieri posset per nos inhærere memoriæ, psalmum qui eis cantaretur, per latinas litteras feci (3) ». Quos autem hymnos eligeret, in judicando fuit severior Ecclesia; et hos sibi tantùm adsciscebat, quibus verendi auctoris nomen præscriptum erat. Indè hæc hymnorum Ambrosianorum seges. Sed, ut suprà diximus, Ambrosio ipsi qui, anno 399 obiit, quatuor tantùm certo attribui possunt. Prudentium igitur multò magis quàm Ambrosium ante oculos ha-

(1) C.f. Hist. Eccles. L. II, cap. 16. hoc de Therapeutis; sed addit : « Sicut apud nos moris est. »

(2) C.f. Athanas. op. T. 1 p. 310. Socrate, L. 6, cap. 8 et Sozomene. L. VIII, cap. 8.

(3) C.f. opera, T, IX, p. 2. ed. 1688.

beas oportet, si primum apud latinos lyricæ poeseos christianum auctorem judicio tuo proponi velis.

Duos hymnorum libros quorum diversa sunt inter se argumenta, nobis tradidit Prudentius. Prior quidem, Cathemerinon nomine, duodecim continet hymnos qui certis horis et statis quibusdam diebus canebantur. Cui quidem operam et studium primò conferamus.

Sex primùm hymni (1), variis diei horis dati sunt a primâ luce quâ expergiscitur christianus usque ad somni tempus quo *Christum sub ipso meditatur sopore*. Variis his titulis inscripti sunt, hymnus *ad Galli cantum, matutinus, ante cibum, post cibum, ad incensum lucernæ, ante somnum.* Austera prorsùs hæc poesis, non jàm solùm illecebris captat aut movet animos, verum etiam, edocet, et ut Horatii verba usurpem: *Pectus præceptis format amicis, inopem solatur* et *ægrum* (2). Assignatum vatibus à Deo munus, ex his Prudentii hymnis manifestum est, et cœlesti quâdam majestate expromitur.

Hymnus ad Galli cantum (3), qui in Romano breviario (feria tertia ad laudes) servatus est (4), vi quadam sumit exordium :

(1) Præfationem omitto, quæ non solum ad Cathemerinon, sed ad omnia Pœtæ carmina spectat, quàque pauca de vitâ suâ retulit. Ex hac potissimùm de Prudentio documenta excerpsi.

(2) C.F. Horat. L. II. Ep. 1e V. 128.

(3) Dimeter Iambicus. 100 v.

(4) Hunc à Racinio nostro partim translatum habemus. c.f. t. IV. p. 81. ed. Aimé Martin, 1844.

Ales diei nuntius
Lucem propinquam præcinit;
Nos excitator mentium
Jam Christus ad vitam vocat.
Auferte, clamat, lectulos,
. . . .
Vigilate, jàm sum proximus.

At non eodem tenore omnia; et per tres ac viginti strophas, promissiùs enarrantur pericula, in quibus versatur christianus qui diutiùs somno indulget. Nil in istis vividum, nullumve episodium reperias : monachorum precem potius quàm hymnum audimus.

— Hymnus matutinus (1), breviario Romano (2) servatus, et à Racinio nostro translatus (3), vix incipiens jàm grandius spirat et citiore gradu progreditur. Postquam descripsit Prudentius hanc operosam omnium industriam quæ vix expergefactos homines occupat eorumque libidines exagitat, christianam contrà expromit industriam, vivido et puriore affectu motus :

At nos lucelli ac fænoris
Fandique prorsus nescii,
Nec arte fortes bellicâ,
Te, Christe, solum novimus.
Te mente purâ et simplici,
Te voce, te cantu pio,
Rogare curvato genu
Flendo et canendo discimus.

V. 45-52.

(1) Dimeter Iambicus, 112 v.
(2) Feria IV, De tempore ad Laudes.
( ) Rac. v. IV. p. 64. ed. Aimé Martin.

In hymno *ante cibum* (1), uberior materies, adventitia multa ac varia, major versuum numerus. Primùm Dei munera recinit.

Ipse homini quia cuncta dedit,
Quæ capimus dominante manu,
Quæ polus aut humus aut pelagus
Aere, gurgite, rure creant,
Hæc mihi subdidit, et sibi me.
V. 40-80.

Et pio memorique corde impulsus, hunc Deum adeò benignum, adeò liberalem omni laude extollit. Deus, Deus ille hominem creavit, hominem caducum Christi sanguine redemit. Ad finem carminis sperat fore ut more animæ vivens, Christiani corpus, alteram in cœlo vitam auspicetur. Quod si lyricum hunc motum tollas : « *Quæ veterum turba*...... 80-95, » quo duæ hymni partes inter se conjunguntur, nihil aliud laudandum invenies, nisi quædam exquisitiore ingenio adumbrata, et poetico sed nitidiore cultu exornata, qui ab Ausonii arte calamistratâ sæpè non abhorret.

Mella recens mihi cecropia
Nectare sudat olente favus :
Hæc opifex apis aerio
Rore liquat tenuique thymo,
Nexilis inscia connubii.
Hinc quoque pomiferi nemoris
Munera mitia proveniunt,
Arbor onus tremefacta suum.

(1) Trimeter Dactylicus hypercatalect, 205 v.

Deciduo gravis imbre pluit
Puniceosque facit cumulos (1).
V. 70-80.

Hymnum *post cibum* (2) penè totum tenet Danielis à Deo servati et in fossâ leonum nutriti historia; quâ significatur christianus à Deo servatus et inter mundi tyrannos et feras nutritus. Hoc enim figuratæ genus interpretationis nostro vati acceptissimum (3). Insigniter admodùm Deus in hoc carmine depingitur:

Intrans pectora candidus pudica,
Quæ templi vice consecrata rident
Postquam combiberint Deum medullis.
c.f. 6-21.

In hymno ad *incensum lucernæ* (4) repetitis laudibus celebratur lumen illud novum quod nobis, incussu silicis largitus est Deus, quodque splendere jubet

Flammis mobilibus scilicet atria;
Absentemque diem lux agit æmula,
Quam nox cum lacero victa fugit peplo.
V. 26-29.

Mosi manifestus apparuit Deus flammeus *spinifera in rubo* (5); et propter Mosis nomen fit adventitia narratio quomodo Hebræos Deus in Ægypto abduxerit, in deserto direxerit ac nutrierit (36-105). Deus autem qui majorum nostrorum pietati se ita præsentem præbuit, nobis munera tribuet. Inde Paradisi deli-

(1) C.f. v. 40 — 50.
(2) Hendecasyllabi Phalæcii. V. 102.
(3) C.F. Hamartigeniæ, Psychomachiæ, Symmachi præfationes.
(4) Asclepiadeus, 164 v.
(5) V. 31.

cias (1) describit vates et quibus festis diebus ipsa etiam inferorum supplicia intermissionem patiantur,

> Illa nocte sacer quâ rediit Deus
> Stagnis ad superos ex Acheronticis.
>
> V. 127-129.

Prudentium ridet Baylius (2) quòd theologicam istius modi opinionem profiteatur; at deridendus quoque Augustinus (3), qui ad eamdem hanc sententiam descendit. Postremò nobis ostenditur Deus qui *sola est lux vera oculis, lux quoque sensibus.* V. 153. Nobis autem per hos hymnos deinceps progredientibus, jam nunc reperire est res melius ordinatas, sublimius et cultius dictas. Si illustriore verborum splendore illuminarentur et imprimis vehementiore moverentur affectu, inclyta planè eminerent carmina quibus Israelitas depingit Nilum trajicientes. C. f. v. 36 et seq.

Denique hymnus *ante somnum* (4) christiani diem dignè claudit. Is somnus, *poculum id obliviale* quod Prudentius optat totis combibere medullis, terribiles visus ac tremendas species mittit impiis; justis verò pandit futura. Sic Josepho, sic Joanni, ut in Apocalypsi memoratur, contigit (5). Jam ineunte somno

(1) C.f. Hamartigenia. v. 838 et seq.

(2) Prud. T. XII, p. 352.

(3) Augustinus, Enchiridion, p. 112. C. f. Ampère, hist. littéraire de la France, 2e, vol. p. 270.

(4) C.F. v, 36 et seq.

(5) C.F. Cypriani opera. ep. 54; et præcipuè ep. 9. « Præter nocturnas enim visiones, per dies quoque impletur apud nos puerorum innocens ætas quæ in extasi videt oculis et audit et loquitur ea quibus nos Dominus monere et instruere dignatur. » — Inde per mediam ætatem hæc tanta visionum seges. C.f. visionem Anselli scholastici, et acta sanctorum, passim.

Frontem locumque cordis
Crucis figura signet,

131-132.

et Christum sub ipso somno meditemur. In hoc hymno cujus facilis versuum decursus, nil insigne quod legentem teneat.

Ex ordine invenimus hymnum *jejunantium* (1) et *hymnum post jejunium*. Quorum prior tardâ et inerti structurâ, laudes jejunii ac virtutes celebrat, quas nobis testantur Elias, Moses, Joannes Baptista, et præsertim propheta Jonas quem, quâdam subtilioris ingenii pravitate, vates in ventre balænæ habitantem libentius describit :

Errabat illi per latebras viscerum,
Ventris recessus circumibat tortiles,
Anhelus extis intùs æstuantibus.

123-126.

Quæ omnia claudit, Christi exemplum memorando qui jejunium quinis diebus octies labentibus sustinuit. Alter autem post jejunium hymnus (2), licet usque impetu, et sententiarum sublimitate non multum emineat, rapidiùs tamen evolvitur. Concinnè, eleganter et venustè pingitur bonitas Dei illius qui

Ita nos amico
Lactat hortatu, levis obsequelâ ut
Mulceat artus.

V. 20, cf. præcipuè 32-48.

(1) Trimeter Iambicus, 220 v.
(2) Saphicus. 80 v.

Hymni *omni horâ* (1) vehemens exordium; quod sequitur historica magis quàm lyrica narratio miraculorum omnium quæ Christus per totam vitam usque ad mortem ac resurrectionem effecit. Concluditur verò carmen sententiâ nec eleganti nec exquisitâ. Etenim vates, postquàm pueros ac virgines, juvenesque et senes ad laudes Christi universo concentu celebrandas hortatus est, hæc addit :

Fluminum lapsus et undæ, littorum crepidines,
Imber, æstus, nix, pruina, silva et aura, nox, dies
Omnibus te concelebrent sæculorum sæculis.

Decimo anteà hymno (2), *in exequiis defunctorum* quum inter cæteros maximè emineat, operam impendamus curiosiorem.

Christiana religio næniarum morem servaverat : qui mos in Græciâ primùm usitatus (3), Romam quoque pervaserat. « Honoratorum virorum laudes in concione memorantur, ait Cicero (4), easque etiam cantus ad tibicinem prosequitur; cui nomen nænia. » Mox obsolevit id poeseos genus et si Nonio adhibenda fides, nil erat nisi ineptum et inconditum carmen quod adducta pretio mulier, quæ præfica diceretur, iis quibus propinqui non essent, mortuis exhiberet (5). » Nec mirum : nam paganus ille vates, vitæ,

(1) Tetrameter Trochaicus Catalecticus. — 114 v.
(2) Dimeter Anapœsticus Catal. 172 v.
(3) Θρηνος, ολοφυρμοι, ιαλεμοι, φημαι.
(4) De legibus, L. II, c. 24.
(5) L. 11. p. 594.

veneris ac voluptatis laudator assiduus, quam in funeribus invenisset uberem carminum materiam? Quomodò ad hanc austeram et quasi in se reconditam poesim elatus fuisset? Non is erat qui mortem interrogans, hujus oracula acciperet, explicaret, et proponeret oculis hominum magnam illam rerum dominam, quâ magistrâ docerentur fluxam hanc et caducam vitam, nihil aliud esse nisi veræ et immortalis vitæ limen et aditum. Hanc poesim quasi lacrymis suffusam, simul et spe arridentem Prudentius inter priores attigit, et eâ nonnullos *in Exequiis* locos illustravit. — Deus corpus animumque creavit et ea connubio quodam obligavit: itaque homo, sicut et quidquid creatum fuit, moriatur necesse est. At *ambitus funeris, candore nitentia claro lintea,* pompa denique sepulcralis, morti nos minimè credulos palàm indicant.

Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta,
Nisi quod res creditur illis
Non mortua, sed data somno.

V. 53-56.

Sed quo itinere è morte ad vitam, è terrâ in cœlum migremus, id nos poeta docet splendido et prorsùs christiano versu, cujus *formam quidem ei* subdidit Virgilius, cujus autem sententiam excogitare et verbis exprimere sola unquàm valuit Christiana religio :

« Ad astra doloribus itur. » V. 92.

. . . .

Jam nulla deinde senectus V. 101.

Frontis decus invida carpet,
Macies neque sicca lacertos
Succo tenuabit adeso.
. . . .
Jam mœsta quiesce querela, V. 117.
Lacrymas suspendite matres,
Nullus sua pignora plangat,
Mors hæc reparatio vitæ est. »
V. 120.

Ignis, terra, aer, dissoluta cadaveris istius elementa inter se dividant, quid ad rem? resolubile corpus revocabit Deus et reformabit. Et concludens vates noster incitatior fertur :

« Sequimur tua dicta redemptor,
Quibus atrâ morte triumphans,
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida jam Paradisi..... etc.
V. 157-172.

Hymni undecimi argumentum *Natalis Domini dies* (1). Quàm infrà superiorem jacet, seu sententias ipsas, seu versus respiciamus ! Christum quidem cernimus ab omni ævo in sinu Patris ante existentem, ac dein has in terras descendentem, et mortale induentem corpus, ut

Mortis catenam frangeret,
Hominemque portaret patri.
V. 47-48.

Quæ Christi ortum secuta sunt prodigia, nobis in

(1) Dimeter iambicus, 116 v.

memoriam revocant quartam Virgilii eclogam : at multùm abest ut Virgilianæ fabulæ illecebras carminumque delicias noster æmuletur vates. Ad finem tantùm lyricè spirat, quum Judæis supremum minatur judicium ;

Peccator intueberis
Celsum coruscis nubibus,
Dejectus ipse et inritus
Plangens reatum fletibus :
Cum vasta signum buccina
Terris cremandis miserit,
Et scissus axis cardinem
Mundi ruentis solverit : etc.
V. 100-116.

Ultimus verò libri Cathemerinon hymnus (1) Epiphaniam celebrat, et, si decimum excipiamus, cæteros profectò supereminet. Quis non miretur lyricum prorsùs et vividum exordium :

« Quicumque Christum quæritis,
Oculos in altùm tollite,
Illic licebit visere
Signum perennis gloriæ, etc.

Magos deinde Persici ex orbis sinu ad Bethleem devenientes narrat, eosque stupentes (2), visâ hâc splendenti stellâ quæ, claram signans viam, cursum eorum diriget. Postquam ante pedes Jesu, *thus myr-*

(1) Dimiter iambicus, 208 v.

(2) Quis iste tantus, inquiunt,
Regnator astris imperans,
Quem sic tremunt cœlestia,
Cui lux et æthra inserviunt.
V. 33-36.

rham et aurum regium deposuere, hæc pio et ardenti pectore profert vates :

> O sola magnarum urbium
> Major Bethleem, cui contigit
> Ducem salutis cœlitus
> Incorporatum gignere.
> Altrice te, etc.
>
> V. 77-85.

Sed Herodi quoddam oraculum timorem magnum injecerat, ne puer ipsum olim è solio detruderet. *Satelles, i,* clamat, *ferrum rape, perfunde cunas sanguine.* Et cùm nobis ante oculos innocentium stragem objecit Prudentius, ecce dulcissimos versus suspirat :

> Salvete, flores martyrum (1)
> Quos lucis ipso in limine
> Christi insecutor sustulit,
> Ceu turbo nascentes rosas.
> Vos prima Christi victima,
> Grex immolatorum tener,
> Aram ante ipsam, simplices
> Palmâ et coronis luditis.
>
> V. 125-132.

Solus servatur Christus, ut quondàm Moses, cujus historiam vates memorat, vitamque figuris interpretatur, varios ejus casus casibus Christi vitæ conferens ; et carmen id insigne sic vividè claudit :

> Gaudete quidquid gentium est,
> Judea, Roma et Græcia,

(1) C.f. Malherbe, Larmes de St-Pierre, str. 34, et Villemain (Litt. du 18e siècle, p. 33). Exquisitâ laude hos versus prosecutus est. Sed mihi non liquet, cur anonymo cuidam vati eos attribuerit. Nomenne Prudentii eruditam ejus memoriam, quum scriberet, præteriit ?

Ægypte, Thrax, Persa, Scytha,
Rex unus omnes possidet.
Laudate vestrum principem
Omnes beati ac perditi,
Vivi, imbecilli ac mortui :
Jam nemo posthàc mortuus.

V. 201-208.

Hæc sunt ex ordine ac breviter exposita, hymnorum duodecim quos in Cathemerinon reperimus argumenta. Eorum plerique, recissis tamen quibusdam fragmentis, ab Ecclesiâ servati fuerunt; duo verò à Racinio nostro translati. Duodecimus inprimis *De Epiphaniâ* nos verè lyrico affectu commovit; apud decimum, *in Exequiis defunctorum* notavimus quàm dulci tristitiâ motus poeta, frigidis è cineribus elapsum cecinerit immortalem animum, eumque ad cœlum sustulerit. Paganis quidem vatibus mens afflabatur religionis magnificentiâ, pomparumque ejus splendore, et festorum illecebris. Quibus quàm adversa repugnabat nova Christicolarum religio, austera, tristis et nuda! Sed novis animum affectibus commovebat : et indè virilior et augustior. Dum circumsonarent undique impuri isti ad Venerem aut Bacchum hymni, attonitâ aure Pagani accipiebant austeras hominum voces qui *omni hora Diei, ad Galli cantum, matutinè, ante cibum, post cibum, ad incensum lucernæ, ante somnum*, assiduis laudibus Deum celebrabant *lucisatorem, omniparentem, verbigenam, virgineo corpore editum*, sed priùs *in genitore potentem*. Hæc enim poesis novas effetæ arti vias recludebat; sed, quod in-

primis animadvertendum, dùm vatis animus meliora et grandiora concipiebat, cadebat in pejus lingua fiebatque propè manca et debilis. Egregiis enim sententiis et sinceris sensibus abundat Cathemerinon liber; et quantam tamen hic invenies segetem recentiorum verborum, contortorumve carminum quæ nobis displicent adornata cincinnis aut fuco illita.

IV.

Alteri lyricorum carminum libro præscriptum est nomen *Peristephanon* (*De Coronis*, ut interpretantur veteres quædam editiones). Quem jam indicat Prudentius in præfatione ante Cathemerinon positâ (1). Ex hymnis quatuordecim constat quibus pietati nostræ commendat vitam et cruciatus martyrum, quorum sæpè fuit civis, quibusque interdùm æqualis (2).

In primo (3) laudatur Emeterii et Chelidonii Calaguritanorum martyrum passio. Augustum quiddam et grande spirat proemium :

> « Scripta sunt cœlo duorum martyrum vocabula,
> Aureis quæ Christus illic adnotavit litteris,
> Sanguinis notis eadem scripta terris tradidit. »
>
> V. 1-3.

(1) « Nec nox ulla vacet, quin....

. . . .

Carmen martyribus devoveat, laudet apostolos. »
V. 38, 42.

(2) C.f. Tillemont, mem. Eccl. T. IV, p. 39 — Ruinart, acta prima martyrum sincera ac selecta. Amstel. 1713. p. 593, etc.

(3) Tetrameter trochaic. Catal. 120 v.

Describit adorantûm turbam qui aras amborum martyrum *confrequentant obsecrantes voce, votis, munere* ; et varios deindè Emeterii et Chelidonii casus enarrat. Uterque miles; Cæsaris vexilla, ut signum crucis sequantur, linquunt. Imperatoris autem edicto traduntur suppliciis christiani. Undique micant gladii rogorumque flammæ; catastæ lucent igneæ; verbera crepant, rugiunt leones ac pardi; sed animosâ fide afflati, duo sodales nostri unà canunt :

« .... Tempus est Deo rependi quidquid est proprium Dei.
Ite signorum magistri et vos tribuni absistite :
Aureas auferte torques sauciorum præmia,
Clara nos hinc angelorum jam vocant stipendia. »

V. 63-66.

Quot et quanta miracula martyrum cruciatus prosequantur, ipse suspicit carnifex,

« Et manum repressit hærens ac stupore oppalluit :
Sed tamen peregit ictum, ne periret gloria. »

91-92

Vividis deinde memorat versibus, quomodò martyrum intercessu, *feroces domentur dæmones qui strangulant mentes et ipsas, seque miscent sensibus*, vel purgentur *longis alba morbis corpora*. Et cum suavi affectu sic carmen peragit :

« State nunc, hymnite matres pro receptis parvulis,
Conjugum salute læta vox maritarum strepat,
Sit dies hæc festa nobis, sit sacratum gaudium. »

118-120.

Hic hymnus nos capit trahitque, et notandis versibus abundat; in eo tamen, quod Prudentio solemne est,

nescio quid exquisitius passim carpemus. Sic, post hunc grandiloquum versum,

« Nobilis per vulnus amplum porta justis panditur. »
V. 29.

hunc fuco illitum reprehendas :

« Lota mens in fonte rubro sede cordis exilit. »
V. 30

Adde quod Hispano nimis ingenio indulgens, non satis se cohibet cùm furentem libentiùs describit hominem qui *spumeas efflat salivas*, *cruda torquet lumina*, vel dæmones qui *lupino capta rictu devorant præcordia*.

Secundus autem hymnus (1) *de Passione Laurentii martyris*, nihil aliud est nisi longa, cui admiscentur lyrici affectus, narratio. Postquàm Romam allocutus est quæ terrarum orbem jam devicit, sed cui nunc vincendus superest spurcus Jupiter, incipit vattes quæ de Laurentio perhibentur, evolvere : quid responderit præfecto urbis regiæ, insani ducis ministro, aurique et sanguinis exactori, thesauros in ecclesiâ aggeratos flagitanti. Paululùm moræ præfectum rogat Laurentius; cæcosque claudosque et pauperes ulcerosis artubus undique colligit, et die stato præfecti ante oculos explicat aurea *Ecclesiæ vasa*, id est *catervas pauperum*, *inculta visu examina* :

« Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes,
Gemmas corusci luminis,

(1) Dimeter iambicus, et 584 v.

Ornatur hoc templum quibus :
Cernis sacratas virgines,
Miraris intactas anus,
Primique post damnum tori
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ,
His illa gemmis comitur :
Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum verticem. »

V. 297-309.

Præfectus, irâ fremens, carnificibus eum tradi jubet; at medio in rogo, frons illi majestate splendet, fulgorque ut Mosi è monte Sinâ redeunti, circumfusus videtur. Et miseratus urbem, cum gemitu Christum obsecrat ut Roma labem idolorum eximat :

. . . Et jam tenemus obsides
Fidissimos hujus spei :
Hic nempe jam regnant duo
Apostolorum principes.
Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens
Primus recludit creditas
Æternitatis januas. »

V. 457-464.

Auditæ Laurentii preces; et celestis Romæ in cœlo factus civis, *æternæ in arce curiæ gestat coronam civicam.* Gloriam Laurentii sic Prudentius celebrat :

« Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum,
Quem Roma cœlestis sibi
Legit perennem consulem. »

Ad finem carminis, se *rusticum* pœta dicit : attamen hic inprimis urbanus, scribendi elegantiâ politissimus purissimusque, orationis figuris vividissimus et in excogitatis audax, c.f. 20-32; 291-312; 412-536; 552-584. Quùm varios pauperum in Ecclesiâ à Laurentio collectorum morbos recensuit, Christianam hanc opinionem, animos scilicet libidinibus conturbatos, multò pejora pati quàm invalida hæc corpora, liberius et felicius explanat :

« Si forte detur optio,
Malim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intùs vivere, etc. »

V. 217.

Pauca sunt in hoc carmine reprehendenda : nonulla tamen latiùs evagata, quæ purius judicium respueret, invenimus, 405-409.

Tertio in hymno (1) canitur Emeritensis virgo Eulalia. Exquisitiór quidem dictio, effusiorque sententiarum ambitus : sed quædam deindè eminent vividis aut venustis coloribus adumbrata, qualia in hymno Epiphaniæ (Cathem. XII) sumus admirati. Junior virgo, ne *mortis amore* in cruciatus ruat, piâ curâ parentis procul ab urbe inclusa, noctu aufugit :

Ingreditur pedibus laceris
Per loca senta situ et vepribus
Angelico comitata choro :
Et licet horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.

V. 45-50.

(1) Trimeter dactylicus hypercatal. 215 v.

Quàm animosis vocibus judicem Eulalia percellit :

. . . . En ego sum
Dæmonicis inimica sacris ,
Idola protero sub pedibus ,
Pectore et ore Deum fateor ,
Isis , Apollo , Venus nihil est ,
Maximianus et ipse nihil :
Illa nihil, quia facta manu ,
Hic, manuum quia facta colit ,
Frivola utraque et utraque nihil.

V. 72-80.

A tortoribus cruciata, in rogo tandem animam exhalat ; sed

Emicat inde columba repens ,
Martyris os nive candidior
Visa relinquere et astra sequi :
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.

V. 161-165

Circà tumulum ejus, pueros ac virgines convocat Prudentius; et lyrâ leniùs sonante, sic carmen concludit :

Carpite purpureas violas
Sanguineosque crocos metite :
. . . .
Ista comantibus è foliis
Munera virgo puerque date :
Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico ,
Vilia , marcida, festa tamen.
Sic venerarier ossa libet ,
Ossibus altar et impositum, etc.

V. 200 et seq.

Quartus hymnus (1) *Passionem XVIII Martyrum Cæsaraugustanorum* celebrat, eosque in eodem laudis consortio devincit. In quo nihil penè foret insigne, nihilque excerpendum, nisi ità grande spiraret proemium :

. . . Cum Deus dextram quatiens coruscam
Nube subnixus veniet rubente,
Gentibus justam positurus æquo
Pondere libram.
Orbe de magno caput excitata
Obviam Christo properanter ibit
Civitas quæque, pretiosa portans
Dona canistris.
Afra Carthago tua promet ossa
Ore facundo Cypriane doctor, etc.

V. 18 et seq.

Sed civitates, Christo obviæ, prolixiùs dinumeratæ, lyricum hunc spiritum morantur. Nec mirum; nam Prudentius, horatianam illam artem non percallet, quâ certos intrà fines semper se continet vates, plura quam dicit indicans.

Quintus de *Passione Vincentii* hymnus (2) non lyricè canens, sed potiùs promissè commemorans animosam martyris virtutem dùm judicem alloquitur carnificumque furori responsat, varia enarrat quæ mortis in articulo fiunt miracula ejusque cadaver ab omni Paganorum contumeliâ defendunt. In hoc hymno, illud figuræ genus quod rarissimè apud vatem nostrum elucet, *similitudinem* scilicet, notemus :

(1) Metrum Sapphicum. 200 v.
(2) Dimeter Iambicus. V. 575.

Ac verba primum mollia
Suadendo blandè effuderat
Captator, ut vitulum lupns
Rapturus alludit prius.

V. 17-20.

Sed prolixiùs dicit, recentiora sæpius usurpat vocabula, et Virgilii quanquàm memor (1), nihil Virgilianum spirat. Si quandò tormenta martyrum enarrat, res ipsas nobis ante oculos nudas libenter explicat: feliciùs tantùm canens illam quâ Christicolæ incendebantur *mortis sitim* (2), illum corporis contemptum dolorisque amorem quem Christus, Passionis cruciatu et angoribus, homines edocuerat. (V. 152-172.)

Sextus hymnus (3), *in honorem Fructuosi Episcopi Tarraconensis et Augurii et Eulogii diaconorum* in easdem ferè partes, ac cæteri, dividitur. Nam primùm judex cum martyribus colloquitur; deinde martyres, dum supplicia parantur, stant imperterriti; Deo fidentes et miraculis divinitùs adjuti, animam efflant: denique ad finem carminis nos adhortatur vates ut eorum cineres omni honore et amore prosequamur. Quum autem martyres loquentes inducit, hoc est adnotandum quàm egregios semper versus sublimesque sententias Prudentio suppeditet vividissima fides, c.f. 51-60, et potissimùm, 75-84.

(1)... Tenditque in altum lumina :
Nam vincla palmas presserant. 235 — 236.

(2) Æger morarum tædio
Et mortis incensus siti. 355.

(3) Hendecasyllabi Phalœcii, 162 v.

.... Cur lamenta rigant genas madentes,
Cur vestri memor ut fiam, rogatis?
Cunctis pro populis rogabo Christum.

V. 82-85.

— Septimum de *Passione Quirini episcopi Ecclesiæ Siscianæ* hymnum (1) non magni facies.

Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis episcopus
In præceps fluvio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ,

V. 20-25

Se summis aquis sustineri sentiens et ità, partam jam sibi præripi palmam mortis, *ascensumque negarier æterni ad solium patris* (2), longà prece Deum obtestatur ut pro Christo mori sibi liceat :

Orantem simul halitus
Et vox deserit et calor,
Scandit spiritus ardua :
Fit pondus grave saxeum,
Corpus suscipiunt aquæ.

V. 85-90.

In hoc carmine neque animi affectus, neque poetica inventio, neque orationis elatio ; et rarissimè interlucent sententiæ, illepidæ et inelegantes c.f. 15-20.

— Hymnus *de loco quo martyres passi sunt, nunc baptisterium Calaguri,* nihil aliud est quam breve epigramma, minimè poeticum, quod suprà baptisterium

(1) Glyconius. 90 v.
(2) V. 54 — 55.

iptum fuisse crediderim. Verisimile est, ho. passionem Emeterii et Chelidonii qui Calaguri obierant, pertinere, quos quidem in primo Peristephanon hymno celebravit Prudentius, et de quibus hæc :

« Inlitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, munere,
Exteri necnon et orbis hùc colonus advenit :
Fama nam terras in omnes percucurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.

Peristeph. hym. I^r, V. 9-12.

In nono edisserit hymno (1) quid sibi quodam die evenerit Romam iter facienti. Quùm in Corneliense forum adventasset, stratus humi tumulo advolvebatur

. . . . Quem sacer ornat
Martyr dicato Cassianus corpore.
Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera et omnes
Vitæ labores ac dolorum acumina :
Erexi ad cœlum faciem, stetit obvia contrà
Fucis colorum picta imago martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circùm pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stilis :
Unde pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur adnotantes scripserant.

V 5-16.

Interrogatus ædituus Prudentio narrat sic Cassianum, litterarum magistrum, jubente judice, à suis discipulis fuisse cruciatum. His auditis, tumulum complectitur vates, et lacrymas fundens :

(1) Hexameter et trimeter iambicus, 106 V.

. . . Quod petebam, quod timebam, murmuro,
Et post terga domum dubiâ sub sorte relictam
Et spem futuri sorte nutantem boni.
Audior, urbem adeo, dextris successibus utor,
Domum revertor, Cassianum prædico.
V. 102-106.

Hoc carmen, non hymnum, sed epistolam jure dixeris, cui sæpè admiscentur quædam non satis intelligenti judicio excogitata, quædam alia curiosè adnotanda de *stenographicâ arte*, V. 70-82, quam anteà jam celebraverat Ausonius (1), quamque in scholâ Cassianus edocebat. Crudiore quodam stylo expressa, nobis ante oculos objicitur puerorum crudelitas, qui magistrum cruciant. V. 47 et seq.

— Hymnus decimus (2) è longo constat poemate in honorem *martyris Romani*. In quo etiam reperitur compositionis ratio vati nostro acceptissima : coram judice adducitur martyr ; dein uterque alterius religionem lacessit ; et quum judex nullum jam habet quod retorqueat argumentum, martyrem contumeliis vexatum ad carnificem mitti jubet, et ad nova tormenta invenienda totam mentem applicat et exhaurit. Ut varietur longus carminis illius tenor, emblema quoddam seu episodium insuper addidit Prudentius. Judici quidem cum Romano convenit, ut arbiter sumatur puer qui, utra sit vera religio, dicat : « *Sequamur quod probarit pusio.* » V. 665. Puer autem, Christi

(1) Epigr. 146.
(2) Trimeter Iambicus, 1140. v.

crucem et signum se amplecti affirmans, carnificibus extemplò traditur flagello cædendus. Mater intereà, ut Machabæorum exemplo virtutem induat indomitam, eum hortatur. His tandem flebilibus strophis clauditur pueri martyris supplicium :

« Perventum ad ipsum cædis implendæ locum
Natum gerebat mater amplexu et sinu,
Ut primitivum crederes fetum geri
Deo offerendum, sancti Abelis ferculo,
Lectum ex ovili puriorem cæteris.
Puerum poposcit carnifex, mater dedit,
Nec immorata est fletibus, tantùm osculum
Impressit unum : « Vale, ait, dulcissime,
Et cum beatus regna Christi intraveris,
Memento matris, jam patrone ex filio. »
Dixit : deinde dum ferit cerviculam
Percussor ense, docta mulier psallere,
Hymnum canebat carminis Davidici :
« Pretiosa sancti mors sub adspectu Dei
Tuus ille servus, proles ancillæ tuæ. »
Talia retexens explicabat pallium
Manusque tendebat sub ictum vulneris,
Venarum ut undam profluam manantium
Et palpitantis oris exciperet globum :
Excepit et caro adplicavit pectori.

V. 826-845.

In hoc longiori quidem carmine, si jam sæpe notata vitia omittas, versus gratiâ decentes vel animosè elatos, vel novis quibusdam sensibus vividos, meritò laudes. Sed, ne nimis multos excerpamus, qui maximè notandi sint indicemus, 120-145, 180-295, 365-375,

465-475, quibus dum verberibus tortorum cæditur Romanus, fratres suos quos ad veram fidem convertere velit, hortatur : *audite cuncti*, etc.; et pia tandem hæc carmina quibus hymnum poeta claudit cum supremi judicii diem ante occupans, se ipsum Romani patrocinio suppliciter commendat.

Undecimus hymnus (1), Valeriano episcopo dedicatus, *Hippolyti martyris passionem* canit. Fortè dùm inter hos frequentes tumulos martyribus dicatos Romæ deambulat, inter illos *justorum populos* quorum *solus habet comperta vocabula Christus* (2), fit obvius tumulo martyris Hippolyti qui feris dilaceratus equis, vocem hanc tantum expresserat interritus :

« Hi rapiant artus tu rape, Christe, animam. »
V. 110.

Singularia quædam de Picturâ documenta colligas è tabulâ quâ effingitur martyris supplicium; quam quidem versibus diligentiùs scriptam nobis tradidit Prudentius. Eam Romæ in cryptâ positam videre erat *haud procul extremo culta ad pomœria vallo*, ubi jacebant martyris reliquiæ :

Ipsa, illas animæ exuvias quæ continet intus,
Ædicula argento fulgurat ex solido,
Præfixit tabulas dives manus æquore levi
Candentes, recavum quale nitet speculum.
V. 183-186.

Italia tota, Quirites, Patricii, Albani, Piceus plebs et Etrusca, Samnitis atrox habitator et Altæ campanus Ca-

(1) Stropha Elegiaca, V. 246.
(2) V. 5 et 15.

puæ (1), *jamque Nolanus, quisque suâ cum conjuge, dulcibus et cum pignoribus,* in angustas latebras concurrunt Hippolytum adoraturi. Valerianum episcopum, cui mittitur hæc epistola, ad clausulam hortatur Prudentius ut solemnem Hippolyti diem inter annua festa dinumeret. — Huic carmini lyricus neque tenor, neque affectus. Epistolam credideris quâ pium itineris sui commentarium Valeriano mittit : magis enim delectatur quæ vidit describendo quàm proprios animi expromendo affectus.

Duodecimus hymnus (2) diem celebrat quo redit Apostolici triumphi dies, Pauli atque Petri cruore nobilis. Frigidis sæpè scatet sententiis, c.f. 18-20 : et nimio describendi studio laborans, tardè commovetur vates, circà excessus otiosus. Quod si velis eum molliculâ et comptulâ ingenii lasciviâ describentem carpere, versus 28-44 legas. Nihil cæterùm in hymni hujus structurâ insigne : et diptychis jure compares, quibus duos tantùm tumulos pictor ante oculos objecit.

— Tertius decimus hymnus, in honorem Cypriani (3), eleganti et verè poetico cultu interdùm ornatus, Carthaginiensis Episcopi virtutes et facundiam laudat :

« Spiritus ille Dei, qui fluxerat auctor in prophetas,
Fontibus eloquii te cœlitus actus irrigavit.

(1) 205, et seq.
(2) Stropha Archilochia, 66 v.
(3) Versus Archilochius, 106 v.

O nive candidius linguæ genus, o novum saporem,
Ut liquor ambrosius cor mitigat, imbuit palatum,
Sedem animæ penetrat, mentem fovet et pererrat artus,
Sic Deus interins sentitur et inditur medullis. »

V. 9-14

Carcere inclusus, nomen patris invocat supremi; et hoc præcipuè notandum quàm compto expolitoque carmine, preces Deo fundat Cyprianus. C.f. 54-70. Jam carnificis gladio trucidandus, Deo grates agit et canit triumphans; *doctorque humi, martyrque in supernis*,

« Instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus. »

Quartus et decimus hymnus (1) Agnetis virginis passionem enarrat, cui

Duplex corona est præstita martyri,
Intactum ab omni crimine virginal,
Mortis deindè gloria liberæ.

Trux tyrannus jussit *sacræ, integritatis munera pollui, et publicâ libidine membra inquinari,* (V. 35-36), sed protervum adolescentem qui primus *lubrico lumine formam Agnetis spectare non trepidat,* obcæcat Deus. Mox Agnetis caput *uno ictu amputat carnifex.*

« Exutus in[illegible]e spiritus emicat
Liberque[illegible] [illegible]ras exilit, angeli
Sepsere euntem tramite candido.
Miratur orbem sub pedibus situm,
Spectat tenebras ardua subditas
Ridetque, solis quod rota circuit,
Quod mundus omnis volvit et implicat,
Rerum quod atro turbine vivitur,

(1) Hendecasyllabus Alcaicus, 133 v.

Quod vana secli mobilitas rapit :
Reges, tyrannos, imperia et gradus
Pompasque honorum stulta tumentium,
Argenti et auri vim rabida siti
Cunctis petitam per varium nefas,
Splendore multo structa habitacula,
Illusa pictæ vestis inania,
Iram, timorem, vota, pericula,
Nunc triste longum, nunc breve gaudium,
Livoris atri fumificas faces,
Nigrescit undè spes hominum et decus :
Et quod malorum est tetrius omnium,
Gentilitatis sordida nubila.

V. 91-111.

Hoc unum ex hymno qui neque inventione, neque dictione eminet, excerpas. Frustra in eo quæsiveris tenerum illud decus, decentemque gratiam quam in hymno Epiphaniæ jam sumus admirati (1). Et hoc sanè confitendum, Ambrosium ipsum, novo illo afflatum sensu pudoris Deo dicati, licet omni metro solutum, meliori prorsus jure poetæ nomen in libro de Virginibus meruisse (2).

Noster denique vates brevi concludit Epilogo (3), quo Deo patri sacrat *citos iambicos et rotatiles trochæos, sanctitatis indigus, nec ad levamen pauperum potens* :

Approbat tamen Deus
Pedestre carmen, et benignus audit.
. . . .

(1) Cath. XII, v. 125 et seq.
(2) C.f. l. 1e c. 8.
(3) Dimeter Trochaicus, et Trimeter Iamb. Catalect. 33 ver.

Quidquid illud accidit,
Juvabit ore personasse Christum.

V. 7-12, 35-36.

V.

Mihi de lyricis Prudentii carminibus judicium summatim statuere meditanti, priùs ea obiter attingere et quum sint planè in obscuro (1), quædam ex iis diligenter excerpere visum est, ut hæc perlegenti in manifesto esset, quid proprium ac singulare, quid commune, quid laudandum haberent. Vates [illegible] noster, ut ex iis quæ retulimus cernere est, non satis verbis delectum adhibuit et compositioni artem. Licet ex omni antiquitate flores carpserit ac delibaverit, licet in assiduo Virgilii Flaccique et Juvenalis commercio et sæpè in imitatione (2) sit versatus, non castum integrumque servat Latini sermonis [illegible]orem barbarorum contagione jam commaculatum. Nunc vetustiora aucupatur vocabula, et obsoleta Plauti et Lucretii verba formasque (3) exquisitè colligit. Nunc jam non latinè loquitur, sed [illegible] ità dicam (4), græcissat. Quippè Byzantium quum imp[illegible]rium Romanum à Constantino

(1) Desideratur interpretati[illegible] mnium poetæ carminum. C.f. Ant. du verdier, Bibl. fr. p. 1023. — Lugd. 1685.

(2) Cf. Cath. II, 71 et Virg. Georg. II, 116; Cath. III, 77, et Virg. Eclog. 1, 81. — Perist. III, 47, et Virg. Æneid VI, 462, etc., etc.

(3) [illegible]sies, fuant, aquai, obsequella, propitiabilis, etc.

(4) [illegible]lus, azymon, energima, etc.

translatum fuisset, commigràsse quoque visa est Romanorum lingua, et exilio elanguisse. Nunc etiam nova prorsùs parturit verba Prudentius : sed id ut faceret rerum quas tractabat novitas expressit. Itaque cum Vossio jure dicemus : « Voces in diviniori cætu Christianorum inventas quod receperit nos r (Prudentius) et adhibuerit, culpare velle absurdum est (1). » Meliùs verò hunc argueres latinam linguam corrupisse, quum usitatissima apud optimos scriptores verba in alteram et inauditam significatione detorqueat. Quod quidem omnibus ejusdem æta ... ptoribus pariter crimini datum ; quodque noi tendere quasi linguæ exitium jampridem indixerat ellius (2). Adde quod non usque Romæ, in istà luce, ut aiebat Cicero ad Rufum scribens, vitam egerit Prudentius. Itaque inter Hispanos quorum sermonem Cicero ipse pinguem et peregrinum (3) nominabat, sincerum verborum usum lediscere debuit. Et profectò indè traxit ingenii ill d acumen inaffectatæ simplicitati contrarium. Nihilominùs magni semper eum fecere veteres Christiani, mediique ævi scriptores. Proximum Augustino et Flacco locum ei assignat Sidonius Apollinaris : « Similis scientiæ viri hinc Augustinus, hinc Varro, hinc Horatius, hinc Prudentius lectitabantur. » (4) Eum, ut

(1) Inst. Oratoria. liv. IV. part. II. Ch. I. par 3.
(2) Noctes Atticæ, liv. V. C. 28.
(3) Pro Archià, C. 10.
(4) Ep. II, 9.

suprà vidimus, Alcimus Avitus in carmine de *laude Virginitatis* laudat:

Prudenti quondàm cecinit Prudentius ore (1).

Poemata ejus in celeberrimâ suâ bibliothecâ collocaverat Alcuinus, eaque nonnunquàm fuerat imitatus. Non mihi in animo est omnes recensere qui laudant aut imitantur Prudentii carmina, atque ut Gregorium Turonensem (2), Lupum Ferrariensem (3) omittam, mihi abundè erit illud Erasmi testimonium qui in commentario quem in duos Prudentii hymnos edidit, eum *Pindarum suum* appellat (4). Sed poeta noster, quemadmodum multos qui ipsum admirarentur, ità non paucos invenit qui reprehenderent, quique ejus vitia callidè indicarent; sed quid in eo laudandum aut vituperandum esset, non satis intelligentes. Ego verò, ne longiùs immorer, hoc tantùm indicabo, quid sibi proprium et singulare vindicare possit. Est enim illi quædam nota peculiaris, sed hanc neque in sermone requisiveris, utpote qui verbis modo vetustioribus et exoletis, modo recentioribus et propè fictis abundet, ab illâ numerosâ Flacci concinnitate tàm longè recedens; nec rursùs in inventione quæ propè nulla est : nam fuit Prudentio

(1) C.f. Acta Martyrum, Ruinart. Amstel. p. 169.

(2) C.f. de Glorià Martyrum, 1, 42 et Perist. IX, 47.

(3) Ep. 20. « Aurelius Prudentius apud plerosque vehementissimè celebratur. » C.f. Matter, lettres et pièces rares, ou inédites, p. 5.

(4) C.f. Erasmi opera. ed. Lugd 1704. T. V. p. 1340. Aliàs quoque vocat « Unum inter Christianos verè facundum poetam. » C.f. de pueris liberaliter instituendis.

natura paulo infecundior et vena minime dives. Abest quoque vividus ille animi affectus qui sensus intimos ad vivum ac per imagines depingit ; abest et ille calor arcanus, illa quasi divina mentis incitatio quam Græci ἐνθουσιασμὸν vocant : ita ut primo quidem aspectu hunc fortè *sanos* inter istos poetas adnumeres quos Helicone Democritus excludit (1). Nec enim ut olim Anacreo et Horatius, naturam contemplari novit et versibus canere; nec ut Synesius aut divus Augustinus, nos ad meditandum impellere. Et est tamen Prudentius, meâ quidem sententiâ, dignus cui seriò attendas, imo quem Lyrici nomine appelles.

Quid est igitur undè illi vèra laus et mansura possit oriri? Nempè ex eo quod novos affectus ad verum expressit. Quinam enim et quales fuerunt hi poetæ quos Prudentii temporibus fama differebat? Ausonius scilicet, ingeniosè quidem sed operosè singula describens, quem Lil ius (2) noster elegantiùs certè et putidè minùs hisce temporibus effinxit; Cœlius Firmianus Symposius qui centum nobis epigrammata vel potiùs ænigmata de fumo, de nive, de glacie conscripta reliquit; Optatianus Porphyrius qui ab imperatore Constantino in exsilium ejectus, veniam posteà laudatorio quodam carmine promeritus est ; quod quidem ipsum carmen è multis poematiis cons-

(4) De Arte poeticâ. V. 298.
(1) L'abbé Delille.

tabat, quorum unum altare, alterum tibiam, alterum organum ipsâ versuum structurâ adsimulabat. Qualis autem fuerit his temporibus litterarum quasi color, satis indicant illæ ipsæ laudes quas oratori Lampridio tribuit Sidonius : « Argutus artifex erat. Faciebat siquidem oppidò exactos tam pedum mirâ quàm figurarum varietate ; hendecasyllabos lubricos et enodes ; hexametros crepantes et cothurnatos ; elegos verò nunc echoicos ; nunc recurrentes ; nunc per anadiplosim fine principiisque connexos (1). »

In hac desidiosorum hominum societate, magnarum rerum nec studiosâ nec feraci, quæ, quum jam incurrentium barbarorum primi tanquàm mugitus exaudirentur, isti Lampridiorum opificio aures præbebat et favebat admirans, ex hac, inquam, grammaticorum et rhetorum et versus scriptitantium turbâ, exsurgit poeta, omnibus quidem ætatis suæ vitiis refertus, elegantiarum conquisitor, novæ potius quàm sanæ dictionis amans, verborum prodigus, rerum indigens, at illo tamen nomine laudandus et inter poetas collocandus quòd veros animi expressit motus, quòd, quidquid cecinit, ex animo expromebat.

Res enim una Prudentii ingenium, maxime commendat facitque ut non solum inter poetas christianos, sed et inter lyricos ei locus assignetur, nempe affectuum sinceritas et novitas. Elucet apud illum

(1) Sid. ed. Greg. et Collombet. T. II, p. 331.

mentis ille ardor qui in hac decrepitâ humanæ societatis senectute, per religionem Christianam animos veluti ad novam juventutem excitabat. Scilicet illa religio ab inani rerum picturâ ad intimas cogitationes, à voluptate celebrandâ ad ipsius doloris laudes homines traducebat. Voluptatem enim inprimis hominibus proposuerat Ethnicorum religio. Illa è poetarum cerebro verè orta, et ad lyræ, ut ita dicam, sonos extructa, non tam in honorem supremi cujusdam numinis quàm ad animi delicias excogitata esse videbatur. Per sylvas enim et ad fontes et in ipsis promontoriis templa et deorum sedem et quasi præsentiam dissipaverat. Nam si quandò æquoris immensitatem contemplaretur Ethnicus, statim ante oculos ejus emergere videbatur Venus albenti undarum spumâ candidior, quæ primo suo risu ipsum deorum in Olympo congressum pelliciebat. Si fluctus videret tempestate commotos, ad se unum respectans, statim cum Lucretio exclamabat :

Suave mari magno, turbantibus æquora ventis (1),

. . . .

De hac autem quàm finxit istiusmodi religio poetica ratione, nonne id dici potest quod Mercurio quondam lyram pulsanti Apollo dicebat :

Τίς τέχνη, τίς μοῦσα ἀμηχανέων μελέσαχαν;
Τίς τρίβος; ἀτρεκέως γάρ αμα τρια παντα πάρεστιν,
Εὐφροσύνην κ' ἔρωτα κ' ηδυμων ὕπνον ἑλέσθαι (2).

(1) Lucr. L. 11, 1 et seq.
(2) C.f. Homère hymn. ad Mercurium. v. 447. 449.

Contrà verò religio Christianorum, è vili quodam præsepio exsurgens, inter quotidianas ærumnas, inter hominum detrectantium et calumniantium et invidentium et cavillantium despectus, grassatur, quærens infirmos, servos, pauperes Trimalcionibus hactenùs ignotos, quos relevet et consoletur. Il[illegible]erces, illi terminus crux et furca : quâ in cruce fixum et duos inter latrones suspensum hominibus ost[illegible]dit Deum, Deum, inquam, illum infinitum et [illegible] qui stellis cœlum illuminavit, terram fro[illegible]eticas viriditate vestivit, maria cavavit et anima[illegible]ntiq[illegible]i- nostram fabricatus est. Quæ quidem relig[illegible]turæ tatis aras evertet ; sed quâ ratione, quibus arm[illegible]s venit instructa? Nempe dolore uno. Virgo mater dolorosa in Veneris istius locum substituetur; et Apollinem illum radiis undique collucentem Christus à solio deturbabit, Christus hastâ confixus. Tunc vanas rerum imagines, tunc sensus ipsos sibi substerne[illegible]s, se ipsum in sese recolligit animus, et in ipso cord[illegible]nostro Deum majorem, ut ait Divus Joannes, invenit. Illucente intùs illius religionis face, et ad intimos usque recessus penetrante (altiùs enim in hominum corda, et conscientiam descendit dolor quàm voluptas), animus quasi renovatus Ethnicis prorsus ignotos sensus, beneficentiam scilicet, mutuam caritatem et pudicitiam hymnis concelebrat. Sed quemadmodum in illo religionum bello, Christiani sua templa super ipsa Jovis maximi templorum rudera

extruebant, et Deum suum, falsorum numinum in ipsâ sede et in imis penetralibus collocabant; ità [illegible]anorum poetæ, Flaccorum et Virgiliorum sermonem et tanquam lyram usurpantes, novæ fidei la[illegible]uâ poterant voce, concinebant. Sed sub illo v[illegible]t ità dicam, cortice certe non suo, nova [illegible]s, nympharum instar quas cecinit Tassius, op[illegible]sa penè suffocabatur. Scilicet ut inde erumpe-r[illegible]ectabat dùm novus sermo, novus spiritus [illegible] populos oriretur, qui jam inter Septentrionum silvas Deum in ipso æthere, id est, [illegible] quod non exstruxerant humanæ manus, [illegible]bant; lucos ac nemora consecrantes, Deorumque nominibus appellantes *secretum illud quod solâ reverentia vident* (1). Nolimus igitur, ex hac latinâ, tam nitidâ quidem sed intrà tam arctos limites circumscriptâ, requirere illum Christianæ, ut ità dicam, Camænæ spiritum, quæ ipsâ rerum infinitate [illegible]le concitari. Nec mirum quòd dictionis integræ venustatem non servet Prudentius : quippe cujus carmina, quemadmodum sacræ illæ conciones per mediam ætatem habitæ, minùs ad sermonis concinnitatem spectant et ad aures audientium permulcendas quàm ad animos penitùs informandos. Ad agendum præcipuè impellunt : si quidem Prudentius id præsertim in Cathemerinon libro sibi proposuit ut quid sit credendum homines edoceret, mysteriorum arcana

(1) Tacite. Germ. p. IX.

evolveret et nobis quidlibet quâque die agentibus, Deum præsentem et adstantem ostenderet; vel apud Peristephanon, Apostolorum labores et martyrum cruciatus, insignesque virginum propter pudicitiam obitus depingeret. Hic enim noster, conquisitis [illegible]-dique martyrum gestis, religionis christianæ nas[illegible]tis et militantis prœconem et vatem sese pr[illegible]fite[illegible] In Hispanià natus, christianæ fidei heroas [illegible] laudibus decorare gestit quibus posteà *Cid*[illegible] eosdem Hispanos, decorabitur. Talibus ini[illegible] illas narrationes inchoat quæ mox prolapsæ [illegible]tatis vices in vacuis hominum mentibus [illegible] sunt; et per mediam ætatem, animos non solum mulcebunt, et consolabuntur, sed fide implebunt et ad spem melioris vitæ inducent. Ex illo denique carminis genere quod non jam ad corpus, sed ad animum attendit; quo non jam voluptas celebratur, sed dolor; quod non jam in his terris versatur, sed ad cœlum evolat, ex illo, inquam, mèmineribus emer-sura quondam Dantis et Miltonis et Klopstocki poemata. Nempe à Prudentio incipit præclara illa poetarum series; ea sunt christianæ poeseos primordia. Sua autem semper præclaris ingeniis origo repetenda est. Quicunque enim ingenio inclaruerunt, istos non imitari debent, qui, ex obscuro ad honores et divitias evecti, avos jam spernunt et dedignantur. Imo verò, pium illius filii exemplum sequantur, qui postquàm potens factus est et celeber, quid majori-

bus suis auxilii et gloriæ debeat, quantulumcumque sit illud, nunquàm obliviscitur.

Vidi ac perlegi,

galæ die vicesimâ tertiâ octobris mensis, D·CCCXLVIII.

acultatis litterarum in Academiâ Burdigalensi ecanus.

J. Rabanis.

Typis mandetur :

Academiæ Burdigalensis rector,

Em. RUELLE.